



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici,  
& Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur,  
Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis,  
Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris  
novem ...

Decisiones Miscellanæ

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio LXXV. Argumentum. De Livellis debitis cuidam Moniali, decursis, &  
non solutis in magna quantitate, potest ipsa Monialis de licentia  
Abbatissæ compositionem facere super iusdem cum fuis ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)



qui constituuntur super bonis Ecclesiarum, recepta pecunia ab eorum administratoribus; & huiusmodi non est Livellus, de quo disputatur; cum sit prædialis, non pecuniarius, ut dictum jam fuit. Respondetur secundò, alienationem factam à Monialibus prævia datione in Livellum perpetuum dictæ domus, & agrorum, esse alienationem necessariam pro executione legum Serenissimi Domini, ut dictum est supra, & circa talem alienationem non est opus alio decreto, ut bene advertit idem Peregrinus in *tr. de Fideicommissis* art. 40. num. 23. & 24. Obtinuerunt quidem ipsæ Moniales licentiam à Curia Episcopali dandi ad Livellum eosdem agros, & domum ad majorem cautelam, attento quod redditus annui eorundem deputati sint à testatore pro celebratione Missarum; quarum intuitu factus est decretum Episcopi ad tradita per Loterium lib. 2. quæst. 47. num. 69. & 70. Sed ad Magistratum Laicum non erat necessarius recursus.

Quare disputata causa, & supradictis rationibus per Judicem intellectis, confirmatus fuit Livellus, & obligati hæredes prædicti ad ejus perennem solutionem.

## D E C I S I O LXXV.

## A R G U M E N T U M.

De Livellis debitis cuidam Moniali, decursis, & non solutis in magna quantitate, potest ipsa Monialis de licentia Abbatisæ compositionem facere super iisdem cum suis parentibus egenis, illis aliquam portionem crediti decursi relaxando, condonando, ac remittendo.

## S U M M A R I U M.

1. *Femina secundum Platonem sunt aliud genus hominum.*
2. *Moniales de licentia Abbatisæ relaxare possunt consanguineis suis aliquam portionem Livellorum decursorum.*
3. *Moniales de licentia Abbatisæ possunt elemosynam facere.*
4. *Consanguinei pauperes Monialium ab eis adjuvari possunt.*
5. *Telemachi olla, proverbium quid significet?*
6. *Abbatisæ sibi ipsi licentiam donandi aliquid potest tribuere.*
7. *Paupertas qualiter consideranda in personis nobilibus?*
8. *Bulla Clem. VIII. prohibet Religiosis largitiones munerum.*
9. *Elemosynas facere non prohibet Religiosis Bulla Clem. VIII.*
10. *Munera ex motivo virtutis, & meriti Regulares possunt largiri.*
11. *Relaxare aliquam portionem debiti, an sit præjudiciale Monasterio?*
12. *Licentiam concedere Monialibus, ut elemosynas faciant, expedit valde.*
13. *Monasterium exigit jure spoliū Livellos decursos Monialium defunctorum.*
14. *Monasteriorum difficultas in exigendis Livellis Monialium defunctorum.*

Ex generali consuetudine Monachis, ac Monialibus, antequam hæ, & illi profiteantur in Religione, eorum genitores assignant annuæ Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

um Livellum vitalitium, exigendum ex fructibus bonorum paternorum, ac de licentia Abbatis, & Abbatisæ respectivè in rebus necessariis iisdem Religiosis utriusque sexus expendendum. Sæpe accidit, ut genitoribus eorum defunctis, fratres, aliæ hæredes deficiant in solutione prædictorum Livellorum sub diversis prætextibus vel infortuniis, vel paupertatis, verius tamen ex defectu charitatis, pro nihilo habentes Moniales consanguineas suas, quasi existiment verum, quod dicebat Plato lib. 6. de legib. *Feminas esse aliud genus hominum, & differens à nobis.* Contigit in facto nonnullis abhinc annis, quod dux Moniales nobili ex familia progenitæ creditrices essent à suis germanis fratribus ducatorum mille pro suis Livellis vitalitiis decursis, & non solutis. Allegabant ipsi germani fratres suam paupertatem & impossibilitatem solvendi hanc totam summam; sed offerebant sororibus Monialibus se eis satisfacturos, si ex benignitate, ac liberalitate vellet ipsi quartam, aut saltem quintam partem totius debiti condonare, ac relaxare. Requisitus fui, an prædictæ Moniales possent tuta conscientia eandem condonationem, ac relaxationem facere? Et respondi affirmativè, si accedat licentia Abbatisæ ex rationibus sequentibus.

Primò, quia Abbatisa potest concedere facultatem Monialibus, ut ex eorum Livellis vitalitiis valeant elemosynam facere, egenis succurrere, & eosdem Livellos in pios usus juxta earum beneplacitum infundere. Ita testantur omnes Theologi Morales, & in specie Sanchez in *Decal. lib. 7. cap. 19. num. 44. & num. 104. Bordonus de Paupertate Relig. cap. 20. num. 33. & 35. Ascanius Tamburinus de Jure Abbatisar. disput. 9. quæst. 3. num. 23. Donatus de Regularib. tom. 4. tract. 15. quæst. 36. Beja de Casib. Conscient. part. 4. cas. 32. Et Diana Coordinatus tom. 7. tractat. 3. resol. 51. alios plures DD. congerens, qui omnes ulterius concedunt, posse Moniales è sola licentia Abbatisæ impendendi earum Livellos in rebus utilibus, ac virtuosis, suffragari egenis earum parentibus, seu consanguineis relaxando, ac condonando iisdem aliquam portionem Livellorum decursorum, & non solutorum. At in casu proposito germani fratres prædictarum duarum nobilium Monialium angustantur paupertate; non est enim novum, quod in quibusdam nobilium domibus verificetur proverbium illud, *Telemachi olla*, de quo Polyanthæ in *Verb. Paupertas*, & quod multi ex sanguine nobili fiant similes Michaeli Palæologo, qui regno potitus tres tantum aureos domi habuit, vel Ladislao Secundo Regi Ungariæ, qui in eas angustias rei familiaris venerat, ut interdum, mensæ quod apponeretur, vix habuerit. Igitur prædictæ Moniales poterunt titulo elemosynæ, ac pietatis quartam, aut quintam partem summæ sibi debite ob Livellos decursos iisdem germanis fratribus relaxare. Quod si una ex iisdem Monialibus esset Abbatisa, sibi ipsi posset eandem licentiam tribuere, ita ut propria autoritate licitum ei foret, eandem relaxationem facere; ut in puncto scribunt idem Sanchez dict. cap. 9. num. 26. & Bordonus in eod. tractat. cap. 17. à num. 60. & seqq. usque ad num. 79.*

Secundò, quia inter alios pauperes, quibus Moniales possunt facere elemosynam de suis Livellis vitalitiis, Abbatisa permittente, primum



mum locum obtinent earum parentes nobiles, si in egestate reperiantur; quæ quidem egestas consideranda est non in solo victu, & vestitu, sed habito respectu ad decentiam eorum status, ac familiarum; ut bene observat Jo. Valerius de Differ. utriusque fori. Verb. Munera num. 90. cuius hæc sunt verba: Munera tribui possunt intuitu elemosynæ, & pro sublevandis veris Christi pauperibus: nomine autem pauperum intellige non solum egenos, qui ostiarii petunt elemosynas, nec solum eos, qui indigent necessariis ad vitam servandam, quales sunt omnes, qui labore manuum suarum sustentantur, & alii non habentes sufficientes redditus, aut pecunias, unde possint se, ac familias suas sustentare, sed etiam eos, qui licet habeant necessaria ad vitam, non tamen ad se decenter pro sua qualitate, & convenientia sui status sustentandum, quales sunt quamplures Nobiles, Domitelli, & ingenui. Et pro confirmatione hujus doctrinæ allegat textum in cap. Consideranda, & in cap. Probanda. 86. dist. quam etiam tradiderant Cajetanus in 2. 2. quæst. 43. art. 3. Bart. in l. 1. num. 36. C. de Sacrosanct. Eccl. Navarrus de Redit. Eccles. quæst. 1. num. 3. & in Manuali cap. 17. num. 93. Ergo antedictæ Moniales suffragari poterunt suis germanis fratribus prævia condonatione alicujus summæ suorum Livellorum, ut reliquum crediti sibi solvant, etsi iidem germani fratres non sint egeni quoad victum, & vestitum, sed quoad convenientiam sui status, ac familiarum, quæ plura sentit onera, ac majores patitur expensas, ut cum decore sustineatur, ut etiam admittit Tamburin. de Jure Abbatissar. dist. disput. 9. quæst. 3. num. 24.

8 Nec officit, si quis objiciat, per Bullam Clementis VIII. de largitione munerum de anno 1594. Incipien. Religiosæ Congregationes, [quæ in Bulario Romano est tom. 3. Constit. 28. & quam per extensum ponit Donatus de Regular. tom. 1. tract. 15. in princ.] prohibitum esse Regularibus utriusque sexus donationes facere, mittere munera, aut aliquid largiri secularibus quamvis suis parentibus, sive consanguineis. Quoniam respondetur, per prædictam Bullam prohibentem largitiones munerum, non esse prohibitas elemosynas, quæ dantur ad sublevandas egenitatem necessitates, ut advertit Bonacina in explicatione ejusdem Bullæ, in tom. 1. disput. 3. punct. 1. num. 11. Imò in declarationibus factis circa eandem Bullam à Sacra Congregatione, & confirmatis per Urbanum VIII. in alia sua Bulla diei 16. Octobris 1640. Incipien. Nuper à Congregatione, [quam per extensum ponit Donatus de Regularib. tom. 1. tract. 15. statim post d. Bullam Clementinam] concessum est Regularibus utriusque Sexus, dare munera ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentia, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modeste tamen, ac discretè, & de Superiorum localium licentia. Idcirco cum sit actus virtutis, & meritorius sublevare nobiles pauperes, qui respectu convenientiæ sui status dicuntur pati egestatem, quales sunt germani fratres prædictarum Monialium, iisdem non censetur prohibitum per Bullam Clementis VIII. gratiam facere, & aliquam portionem sui crediti remittere, ac condonare, ut reliquum sibi promptè, ac benevolè solvant, quod admittit sub titulo elemosynæ idem Donatus dist. tractat. 15. quæst. 9. ita scribens num.

2. Hinc Religiosi, de licentia tamen suorum Superiorum,

poterunt erogare elemosynaliter id, quod superest, vel detrahendo sibi aliquid de victu, ac pauperibus dare; & multo magis si pauperes essent consanguinei nobiles, aut senes. Et hoc idem docent, & concedunt Graffius consil. 1. de Regularib. num. 26. Riccius in Praxi part. 2. resolut. 25. Lezana in Summa part. 3. Verb. Dare num. 12. Peyrinus de Religioso subdito tom. 1. quæst. 2. cap. 2. §. 6. & Diana part. 1. tract. 6. resolut. 19. quæ posita est in Coordinato tom. 7. tract. 3. resolut. 29.

Multò minus obesse potest, quod prædictæ 11 Moniales condonando aliquam portionem sui crediti, & relaxando certam summam Livellorum decursum parentibus suis faciant præjudicium Religioni, & damnificent Monasterium. Quia id negatur; veritas enim est, quod eadem Moniales tantummodò sibi ipsis præjudicent, privando seipsas commodo illius pecuniæ, quam exigere non possunt, & suis consanguineis relaxant; Monasterium verò, aut Religio nullum damnum sentit, quia si exacta fuisset, etiam ad earum arbitrium, & in ipsarum commodum, prædictæ Moniales eam impedissent, ut bene considerat Diana in d. resolut. 29. tom. 7. tract. 3. & Beja p. 4. casu 32. ubi cum dixisset, quod, si Moniales possunt suos Livellos vitalitios consumere in usum corporis, multo magis eos expendere valeant in beneficium animæ, illos relaxando titulo elemosynæ; postea subdit: Et Prælati voluntate iusta, & rationabili debet velle potius, quod Religiosus sic concessa ad 12 suos usus expendat, sobriè, abstinentè, & parè vivendo, quam quod ea laute, & opiparè comedendo, & potando, seque, ac cellam suam curiose nimis ornando, consumat Et idem docet Navarrus Comment. 3. de Regular. num. 30. Et de Reditib. Eccles. quæst. 1. Monit. 33. num. 2.

Neque insistat aliquis addendo, & dicendo, quod imò relaxatio, & condonatio alicujus portionis Livellorum decursum à Moniali creditrice facta præjudicet Monasterio, quia ea defuncta Monasterium ipsum integrum creditum exigit, jure spolii, à parentibus debitoribus ejusdem Monialis. Nam iterum respondeo, hanc rationem esse metaphysicam, & merè speculativam, quæ raro, aut nunquam in praxi fortitur effectum. Scio, noluisse quandam Abbatissam durioris intellectus ab inexperito, & tenacis opinionis Vicario consultam dare licentiam Moniali se componendi cum suo consanguineo debitore Livellorum decursum, relaxando eorum quintam partem & alias quatuor brevi tempore recipiendo. Paulò post obiit Monialis, Monasterium intentavit coram Judice contra eundem debitorem totius summæ solutionem. Debitor ipse excipiendo opposuit plura fideicommissa transversalia, primogenituras, dotem uxoris suæ, cum quibus omnia ejus bona cooperuit, & in tuto posuit, adeò ut Monasterium non paucam pecuniam projecerit in Advocatos, Procuratores, ac Notarios, & tandem nihil obtinere potuerit à fratre defunctæ Monialis, & tunc cognovit Abbatissa duri capitis, pessimum consilium fuisse, recusare quatuor partes Livellorum decursum, quas debitor offerebat Sorori suæ viventi, si quinta pars ei condonaretur; quapropter in similibus casibus expedit, & semper utile erit, remittere, condonare, ac relaxare aliquam portionem consanguineis egestate pressis, si reliquum debiti solvere



vere sint parati; ut bene considerat, & laudat etiam Alcanius Tamburinus de Jure Abbatissar. dist. disput. 9. quest. 3. num. 24.

DECISIO LXXVI.

ARGUMENTUM.

Declaratur Quid, & Quotuplex sit Cambium? Quibus titulis cohonestetur lucrum in Cambiis? Quæ, & quot conditiones sint in eis servandæ, ne committatur Anotocismus?

SUMMARIUM.

1. Cambii definitio.
2. Permutatio tripliciter fieri solet. Et quomodo?
3. Pecunia usus duplex, & qualis?
4. Cambium quomodo differat à Venditione, & à Mutuo?
5. Campsores, & Campsarii qui dicantur?
6. Pecunia quo anno cepit esse expendibilis?
7. Abraham pecuniam obtulit pro emenda terra ad sepeliendam Saram.
8. Cambium dividitur in Siccum, & Reale. Quid sit Siccum?
9. Cambium Siccum cur sic appellatum?
10. Cambia Sicca damnantur Bullis Pii IV. & S. Pii V.
11. Cambium reale quadruplicis generis. Et quodnam Cambium minutum?
12. Cambium per Literas qualiter fiat?
13. Cambium ad nundinas quodnam sit?
14. Cambio in minuto quo titulo recipiatur lucrum?
15. Famulus cambiando pecuniam Domini sibi datam ad expendendum, an possit aliquid lucrari sibi?
16. Cambia per literas quibus titulis reddant lucrum?
17. Cambiorum ad nundinas lucrum quomodo justificentur?
18. Cambiis in maritimis quo titulo recipiatur lucrum à Campsores?
19. Conditiones necessariò servandæ in Cambiis minutis, & per literas.
20. P. Joannes Tubba Servita acriter reprehensus à Capuccino Concionatore circa literas civicas usurarias.
21. Tolerantia Superiorum non facit Usuram licitam.
22. Leges Pontificia non abrogantur ex non usu.
23. Litera ad nundinas realiter transmittenda, & exequenda.
24. Campsor an certus esse debeat, quod Campsarius negotietur in nundinis?
25. Lucrum in Cambiis ad nundinas non est determinandum ab initio.
26. Cambia non nisi ad proximas primas nundinas faciendæ.
27. Loca propinqua, vel distantia nundinarum minuunt, vel argent lucrum in Cambiis.
28. Interpellatio judicialis necessaria pro interesse consequendo in Cambiis.
29. Cambiorum materia satis est involuta, neque Theologis bene cognita.
30. Anotocismus quid sit?
31. Cambiis in minutis quando committatur Usura?

Quoniam in cambiis, & prætextu cambiorum frequenter, ne dicam jugiter, committuntur Usuræ, ideo ad complementum harum Decisionum de Usuris, & ad perfectam Usura-

rum noticiam, quam Confessarios, animarumque Rectores habere decet, restat, ut summam videamus.

1. Quid sit Cambium, & unde sic dicatur?
2. Quotuplex sit Cambium?
3. Quibus titulis Cambium sit licitum?
4. Quibus conditionibus debeat esse vallatum?

Quoad Primum. Omnes Theologi communiter definiunt contractum cambii, quod sit Permutatio unius pecunie cum altera. Tamburin. de Triplici Jure lib. 9. tract. 3. cap. 1. num. 1. Collegium Salmantic. in Cursu Theolog. Moral. tom. 3. tract. 14. cap. 4. punct. 1. & Mastrius in Theolog. Moral. disput. 5. num. 116. dicitur autem Cambium à cambiare, quod est nihil aliud nisi rem cum re permutare, ut observat Tiraquellus de Retract. lib. 1. cap. 30. in princip. qui quidem juxta doctrinam Aristotelis 1. Physic. cap. 6. notat, quod tripliciter fieri possit permutatio, videlicet rei cum re, ut si dem tibi vinum pro frumento; pecunie cum re, ut si dem tibi aurum pro vino, & pecunie cum pecunia, ut si dem tibi pecuniam auream pro pecunia argentea, vel zrea. Primo modo est contractus permutacionis. Secundo modo emptionis, & venditionis. Tertio modo Cambii. Tamburinus d. cap. 1. num. 1. Colleg. Salmantic. & Mastrius ubi supra, qui ex hac definitione tria colligunt. Unum, quod duplex sit usus pecunie: Primarius, ac principalis, ut sit aliarum rerum pretium, & Secundarius, seu minus principalis, ut ipsamet pecunia possit permutari, emi, vendi, & commodari; ratioque hujus secundarii usus est, quia aurum, & argentum non relinquunt naturam suam, suamque æstimabilitatem materiæ, ex eo quod per consensionem gentium sint instituta in pretium aliarum rerum, quod bene notavit Sanctus Thomas 2. 2. quest. 78. art. 1. & de Regimine Principum cap. 14. & Aristoteles ubi ante. Alterum est, quod Cambium differat à venditione & emptione, in qua pretium est diversum à merce, in Cambio autem idem est pretium cum merce; tum à mutuo, quod potest esse in omni materia consumptibili, tritico, vino, oleo, & similibus, at Cambium in sola pecunia esse potest: Quod si dicas, etiam mutuum sit, & esse potest, imò ut plurimum concipitur cum pecunia; nihilominus differt à Cambio, quia illud dat pecuniam restituendam post dilationem temporis, & in eodem loco; istud autem solet fieri dando pecuniam pro pecunia præsentis, vel in alio loco solvenda, ut dicemus infra. Tertium est, quod qui dat pecuniam ad Cambium, vocetur Campsor, ille verò, qui pecunia indiget, & eam ad cambium recipit, dicatur Campsarius ad similitudinem aliorum aliquod donum, legatum, vel beneficium recipientium, qui vocantur donatarii, legatarii, beneficiarii. Quod si petat curiosus Lector, quo anno, & quo autore pecunia facta sit pro aliis rebus emendis? legat Plinium lib. 33. cap. 3. qui Romanos facit pecunie auctores, Isidororumque, Epiphanium, & Cedrenum, quos refert Sallianus ad Annum Mundi 3343. volentes nummos dictos esse à Numa, qui prior illos cudid: at certum est, quod tempore Abrahami, qui Anno Mundi 2039. natus est, pecunia fuerit in usu; cum enim Sara ejus uxor esset defuncta, rogare fecit Ephron filium Seor, ut daret ei terram ad